Assignatur valens [illegible] Jo. de Lacruz de Rogeriis [illegible] pro Cor. de Anniciis

Nicolaus episcopus servus servorum dei Dilecto filio Officiali Ambianensi Salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Adrianus Cassart
clericus Morinensis seu alterius diocesis nuper nobis exponi fecit quod olim postquam ipse tunc impubes existens suasionibus nonnullorum parentum seu consanguineorum suorum
inductus domum ordinis fratrum beate Marie de Montecarmelo oppidi de Monstreolo Ambianensis diocesis intraverat et habitum per fratres dicti ordinis gestari solitum
susceperat ac inibi aliquamdiu permanserat et deinde occasione huiusmodi per gentes Cesaree Maiestatis expugnate ad domum parentum seu consanguineorum suorum redierat
et habitum regularem dimiserat ac in domibus parentum seu consanguineorum suorum huiusmodi per annum vel circa permanserat idem Adrianus tunc adhuc impubes
existens etiam similibus suasionibus inductus aliam domum ordinis fratrum beate Marie predictam intravit et habitum per eosdem fratres gestari solitum suscepit
ac postmodum professionem per fratres huiusmodi emitti solitam emisit expressam ad hec compulsus per vim et metum qui cadere poterant in constantem virum nullo tamen
animo vel intentione quod propterea vellet aut deberet religioni in genere vel in specie quomodolibet obligari et adhuc vi et metu predictis durantibus in dicto ordine
ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promotus extitit sed quamprimum vi et metu huiusmodi cessantibus potuit domum ordinis fratrum beate Marie
huiusmodi exivit et habitu regulari dimisso ad seculum est reversus in quo dicit sicut ut vir secularis sub timore domini finire concupiscit. Quare pro parte
dicti Adriani nobis fuit humiliter supplicatum ut ne ipse propterea suorum status et fame ac rerum dispendiis afficiatur possit sibi super hec oportune providere
de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus si vocatis ad hec priore et fratribus dicte domus ordinis
fratrum beate Marie ac inquisita per te super premissis diligentius veritate rem ipsam ita esse repereris prout superius enarratur eundem Adrianum
premissorum occasione religioni in genere vel in specie minime obligari et ad regularem observantiam non teneri sed in seculo remanere ac beneficia ecclesiastica
cum cura et sine cura alias non obstantibus canonicis impedimentis obtinere posse auctoritate nostra nuncies et declares prout in casu huiusmodi successive
fuerit de iure faciendum. Datum Rome apud Sanctummarcum Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo [illegible]
Quartodecimo kl. Septembris Pontificatus nostri Anno Primo

Angl

G. de Rubeis

G. de la Soz

R. Jo. [illegible] varius

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 26 (3)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876369655-14/fragment/page=0001

C. hircand

Do. di Torres

Marbio 26 (3)

1550 Aug. 19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876369655-14/fragment/page=0002